CANDIDO LECTORI.

HOS duos libellos, Introductorium ſcilicet in Logicam Arabicam, & quædam de fide, in gratiam deplorandorum orientalium; in lucem edi curaui, duabus de cauſis. Altera quidem vt totius inſtituti Seraphici Patris noſtri Franciſci Venerabilibus Patribus Romæ congregatis & in comitijs Generalibus tempore Iubilei celebratis, ſatisfacerem, faceremq. animum, tàm hic, quàm alibi ſtudia, ac ſtudioſos promouendi, qui calleant hoc idioma, adeò neceſſarium, vt decem annorum experimento didici, quibus in varijs diſcriminibus, totam terram ſanctam, ac cæteras ferè omnes orientalium plagas perluſtraui; ob idq. tàm arte, expertis ſcilicet ex Arabibus adhibitis Magiſtris, quàm improbo exercitio comparaui, cum hæc lingua, mihi omnino domeſtica, ſuccedentibus hinc inde negotijs deſideraretur. Altera verò vt Philomuſis Arabicis (pro Marte) manus porrigerem auxiliatrices; dum præter vulgares Gramaticorum (eiuſdem linguæ, difficillimè quidem, ſed perneceſſariæ, mentiſq. conceptibus exprimendis valde idoneæ) quoſdam Logicæ, ac Theologiæ non vulgares terminos, ſynceritate Franciſcana, ipſis compendioſè ſuppeterem, imbuiq. conarer. Quas ob res, me non circumlocutionibus vſum fuiſſe, nec in traductione latinam præſertim attendiſſe phraſim, honoris aucupandi, vel fortè veritatis declinandæ gratia ſi animaduerteris; cætera æqui, boniq. conſule. Et me, ſi hæc hilari fronte excipies, breui ampliora audere ſperes. Mihi interea tuis faueto precibus, vt facio. Vale.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.

LVDOVICO CARD. LVDOVISIO S. R. E. VICECANCELLARIO.

APVD me cum penſitarem (Illuſtriſs. Princeps) quod ſi ob peculiares quaſdam virtutes, maiores noſtri, ſtatuas aliquibus erexerunt, vt teſtantur veterum monimenta; quid non meruerit fel. memoriæ Gregorius XV. Pont. Max. auunculus tuus, qui tot animarum myriadum ſaluti conſuluit, qui tot nationes Eccleſiæ peperit, qui tot populos ab Erebi faucibus liberauit, cum ſacram Congregationem de Fide propaganda, non minus piè, quam ſapienter inſtituit: Non potui, quin tibi virtutum eius legitimo ſucceſſori, expreſſæq. ſui imagini, hunc primum mearum Arabicarum elucubrationum fœtum, ſtatuæ loco, dicare, attentarem. Opus quidem perexiguum, & tantæ tuæ amplitudini impar, inœpto tamen, à tanto Pontifice auunculo tuo, operi, valde proficuum; Cum eius cognitio, quaſi manu ducat, ad notitiam terminorum Philoſophiæ, & Theologiæ orientalium: Abſtruſiſſimorum quidem, mentis tamen conceptibus exprimendis, ſatis ſuperq; idoneorum, & ſine quibus parum prodeſſet, qui ipſos, rationibus confutare, & refellere tentaret. Quod quidem Opuſculum meum, ſi mecum, ſub amplitudinis tuæ, auſpicijs à Philarabicis, orientalium ſitibundis benè videbitur; Et ipſos ad tanti idiomatis intelligentiam, non parum adiumenti excepturos, polliceor, & omnem mihi animum facturum, te fautore, & protectore, ad ampliora progrediendum; vt tot miſeris orientalibus qui Tibi pro corona erunt, ſubſidium, liberationemq. afferas, ad laudem, & gloriam Præpotentis Dei, qui te in omnibus, vt eum aſſidue in meis ſacrificijs, rogo, fœlicitare, & conſeruare dignetur. Romæ ex Conuentu S. Petri Montis Aurei. Die 15. Maij. an. Iubilei 1625.

Tuæ Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominationis

Addictiſs. & humiliſs. ſeruus
Fr. Thomas à Nouaria.

*Ego Ioannes Heſronita,*Maronitarum Collegij *in Vrbe olim Alumnus: Linguarum* Arabicæ*, ac Syriacarum Regis Chriſtianiſsimi Interpres: hos duos libellos,quorum alter Iſagoge: al[illegible], Theſes Fidei ſanctæ,nuncupatur: de mandato ſacræ Congregationis de Propaganda fide,vidi,& omnia quæ* Arabicè *dicuntur,Latinæ linguæ cohęrere, approbo, & confirmo,immo vtilia admodum eſſe cenſeo.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A.Epiſcopus Hieracen, Viceſgerens.

Imprima[illegible]

Fr. Vincentius Martinellus Magiſter & Socius Reuerendiſs. Patris Fratris Nicolai Rodulfij, Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædic.

إيساغوجي

ISAGOGE

Ideſt, breue Introductorium Arabicum, in Scientiam Logices: cum verſione Latina, ac Th[illegible] ſanctæ Fide[illegible]

R. P. FR. THOMAE NOVARIENSIS

Ord. Min. Reg. Obſer. nuper Orientis Apoſt. Commiſsarij, Ieroſolymorum Guardiani, ac linguarum Orientalium Magiſtri, opera, ſtudioq. editæ, ac

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.D.

LVDOVICO CARD. LVDOVISIO S. R. E. VICECANCELL. DICATÆ.



Quæ quidem publicè diſputabuntur, Romæ, idiomate Arabico, in comitijs Generalibus Fratrum. Min. de Obſer. in Conu. S. Mariæ de Araçæli. Ob[illegible]tisfaciente P. F. Petro Marietta Gallo ſub auſpicijs præfati R. Patris. Anno Iubilei 1625: Die Menſis Maij. Hora 21.

ROMAE, Excudebat Steph. Paulinus. 1625. Sup. Permiſſu.